



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Divina providentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** Ab Ægyptiacis commentis haudquaquam dissimile est. Anima enim, ut Philosophi Poetæque veteres commentantur, in portionem rationis participem unam, & rationis expertam alteram dispersitur. Sedenim quæ rationi adglutinata est portio, supra sensum & sensibilia sublata, quanto potest luctamine, tanquam Vulcani congressum effugiat Pallas, semetipsam sibi asserere meditat: quæ vero aliena est à ratione, brutis proxima, temere omnia vel appetit, vel concitat. Appetentis autem vim totam in hepate Philosophi plerique constituunt. Quare quod concubitus illegetimos Tityus appetierit, jecur ab alite rodi fingitur: sive ea Vultur, sive, ut alii quidam, Aquila sit. quæ illud abrodat. Utcumque, noctu ait Hesiodus tantum accrescere, quantum die fuerat absumptum, propterea quod mentis agitatio noctu præcipue vigescit, cogitationesque & consilia noctu undique suggeruntur. Sedenim quia dictum est superius, Vulturem odoratu sagacissimo ad putredinem deferri: cogitationis (inquiunt nonnulli) principium, motusque omnis à corde proficiscitur, qui quidem est voluntatis fons, ut ex Homero & Poëtis aliis tam Græcis quam Latinis accepimus. A corde igitur est, quod malè habet jecur, itaq; Tityus ratione hac à Vulture laceratur. Sedenim Triclinius apud Pindarum viscera Tityi à serpentibus discerpi depascique dicit, quæ quidem est Poetarum licentia, non in his fabulis tantum, verum etiam in historiis, ex commodo suo quæcumque voluerint variare.

## LIVOR. CAP. XIV.

Nonnulli livorem ex hieroglyphico hoc interpretantur, eoque spectare Tityanam Vulturem in appendicibus Virgillii:

*Quæ semper lacerat, comestq; mentem,  
Vivit pectore sub dolente vulnus:*

*Quod Chironia nec manus levarit,  
Nec Phæbus, sobolesve clam Phæbi.*

In quam sententiam alitis hujus figmentum Petronius Arbitr, Nicagoras, & Aristoxenus acciperent.

## DIVINA PROVIDENTIA. CAP. XV.

**C** Quod denique Vulturem nonnulli Promethei etiam cordi abrodendo applicant, Ægyptiacæ eruditioni longè accommodatius est. Vulturem enim in mundi modum considerant. Cui picturæ illa etiam applicatur causa, quod mundus celeri quadam volubilitate versetur, & cadaverum nascentium occidentiumque perennitate pascatur: cumque in corde sapientiæ sedem veterum plerique posuerint, alitis hujus cor depascens hieroglyphicum, ali sustentarique mundum diviniæ sapientiæ providentia, quæ nec ipsa finire novit, nec mundus cessare ab ejus alimentis vel tantillum queat, manifestissimo significat argumento.

## CONSUMMATIO. CAP. XVI.

**D** Neque illud parvi momenti mysterium est, quod cum perfectum quid in rerum natura Ægyptii sacerdotes indicare vellent, Vulturem, & Scarabeum ponere consueverunt: utpote qui ex duobus his simulacris Palladem & Vulcanum, ut ipsi aiebant, intelligerent. Comprehendebant autem picturam hanc uno tantum argumento, ex quo masculino-femineum, ut dicam, sexum significari profitebantur. Ita tamen imagines disponebant, ut si Vulcanum significare vellent, Scarabeum primo inceptarent, mox in Vulturem desinerent: si Minervam intelligi vellent, à Vulture principium sumentes, in Scarabeum desinebant. Cæterum quia primo statim obtutu nova hæc fortè videbuntur, ea latius explicabimus pro eorum institutione, qui nondum rerum naturalium sacris initiati sunt.

## PALLAS ET JUNO. CAP. XVII.

Illud autem imprimis non ignorari velim, cælo in superius & inferius hemisphærium diviso, Ægyptios quod supra finitorem est Palladi consecrassè, quod verò infra ab oculis semper nostris summotum, Junoni dedicassè. Et quoniam cælum ipsam muliebri genere Uraniam, non ἄρα γὰρ, quod præcipue etiam apud Arabes erat, vocitabat, utpote quæ Solis, Luna, stellarumque omnium mater haberetur & Vulturem, ut sæpe dictum, omnino feminam intelligerent, utrumque itidem hemisphærium, quo cælum constat univèrsum, per Vulturis hieroglyphicum exprimebant: atque ita tam